1527

Sigismundus dei gratia Rex Polonie Magnus dux Lithuanie Russie totiusque Prussie ac Masovie etc. dominus et heres

Reverendi in Christo patres Magnifici, Generosi, Nobiles ac famati Sincere et fideles nobis dilecti. Ex literis vestris Thorunii feria secunda ante festum divi Thome apostoli ad nos scriptis, intelleximus, vos Thorunii iuxta mandata nostra fuisse congregatos, simul et causas ac rationes vestras, ob quas, omnia negotia que in illa ipsa congregatione a vobis, iussu nostro agi et tractari debebant, in aliam conventionem Marienburgi, octava die, post festum Trium Regum habendam transposueritis, et proinde totam hanc rationem consilii vestri, non improbamus, quin ratam gratamque habemus, neque enim dubitamus, quicquid per vos actum est, agique debet, id totum ad dignitatem nostram totiusque reipublice bonum et comodum pertinere. Hortamur tamen vos ut in hoc ipso futuro conventu, diligenter his rebus omnibus, de quibus, et literis, et mandatis nostris, iampridem vobis significavimus, incumbatis, et de eis consilia capiatis, sufficientia et absoluta, illis Nobis que fuerit sententia vestra huc venientes coram referatis. Quod in eisdem literis vestris de proscriptis Gedanensibus civibus subiunxistis, asserentes vobis videri e re, et comodo reipublice fore, si iidem proscripti ex Prussia ad regnum nostrum aut magnum ducatum Lithuanie, deportarentur, Nos scimus, plerosque esse inter vos qui contrarium sentiunt, censentes, per Civitates et oppida Prussie, que, ob infrequentiam civium et incolarum in solitudinem et vastitatem redacte, corruunt, sub cautione fideiussoria, potius eosdem Cives proscriptos distribuendos esse, ita solitudini et vastitati eorundem oppidorum, comodissime succurri posse existimantes. Qua de re volumus quam diligentissime et accuratissime invicem istic deliberetis et concludatis, atque ad nos huc referatis. Nam, quod quatuor cives Elbingo proscriptos attinet, quos in ditione Illustris domini, Prussie ducis, receptum habere scribitis. iam, et antea studium

32

et modo in ea re scripsimus ad eius Illus[trem], adhortantes
ne eisdem, et aliis, per nos, in exilium damnatis, in di-
tione sua, receptum habere permittat, nec dubitamus,
quin adhortatio nostra apud Illust[rem] eius, suum debi-
tum consequutura sit effectum

De Moneta Cum esset hic apud nos demum Illustris D[omi]n[u]s
Dux Prussie, parum admodum egit nobiscum. Verum
paulo post abitionem illius a nobis, Legati eius, cum ple-
no mandato et instructione abunde, de ratione eiusdem
monete cudende, nobiscum egerunt, sed nos hic de ea
sine consilio vestro, nihil transigere voluimus. Com-
mittimus aut[em] vobis et mandamus, ut deliberationem
ac instructionem super eadem moneta cudenda, ab Orato-
ribus ipsis nobis relictam, quam mittimus ad vos cum pre-
sentibus, maturo consilio examinetis, et id, quod vobis,
et reliquis subditis istarum terrarum, utile et accomo-
dum videbitur, diligenter expendatis, Et quid ac qua-
liter, prefato d[omi]no duci in Prussia, respondere debeamus
sententiam vestram nobis significetis, per eos, qui hic
ad Conventum Regni nostri sunt venturi

Non ignoratis preterea, pecuniam cum rerum tam bellicarum
quam civilium nervum esse, sine qua, nec publice, nec
privatim quidquam geri est possibile. Quare curabitis
quam studiosissime poteritis, ut contributiones publice in-
stitute exigantur et colligantur, et in erarium nostrum
Marienburgen[se] omnes inferantur, ne ex earum sera
collectione aliquid detrimenti nobis et publicis nego-
ciis eveniat. Provideatis autem, ut Brodnicen
et alia vilis moneta, non solvatur nec recipiatur ad
rationem Cise institute, que, cum recipi dudum pro-
hibita sit, ac publico decreto nostro explosa voluimus,
aut ut aliquo modo recipiatur, in damnum nostrum
et reipublice. Ineatis etiam aliquam ra-
tionem reparande rupture fluminis Vistule, que,
ut in aperto est, vergit in non modicum damnum Cas-
tri nostri Marienburgen[sis], et istarum terrarum, nisi

tempore colludatur. Scitis enim, quod impensa estate pre-
terita ad referendam eandem custuram facta, abiit in
fumum et ventum, eo quod non est satisfactum decreto
et constitutioni in Elbingo facte, id, quod nos equo
animo ferre non possumus. Hec, et alia, que ad
nostram et reipublice dignitatem conducere arbitrabi-
mini diligentissime curabitis pro officio vestro et gratia
nostra. Et bene valete. Datum Cracovie Sabato in
vigilia sanctorum Trium Regum Anno Jesu Christi
1527 Regni nostri anno vigesimo

Commissio propria
Regie Maiestatis

Rndis in Christo patribus
Magnificis, Generosis,
Nobilibus, et famatis,
Prelatis et Baronibus, Con-
siliarijs terrarum nostrarum
Prussie, statibus ceterisque
Sinceris et fidelibus di-
lectis

[illegible] ad [illegible]
Marienburgensem

Conuentus Marieburgen
1527

33v